

Z^h₈₃₉

UNIV.-U. LANDESBIBLIOTHEK
(SAALE) HALLE

Pon z e" 839^h, QU

AKC









CARMEN
IN HONOREM CON-
IUGII CLARISSIMI VIRI D.
HIERONYMI SCHALLERI, SPONSI, ET
PUDICISS: VIRGINIS MARTHÆ PEV-
CERÆ, EXCELLENTISS: D. CA-
SPARIS PEVCERI, FI-
LIÆ, SPONSÆ.

Scriptum à
IACOBO FABRITIO
DANTISCANO.



VVITEBERGÆ
Excudebant Clemens Schleich &
Anthonus Schöne.

ANNO

M. D. LXX.

SI quis inexhaustam nondum se prendere mentē
Aetherei fastus Domini, quid origine prima
Ordine prudenti, simul atq; ipsa arte Magistra
Omnia agens, tantos cœlorum effinxerit orbes:
Siue etiam nescit, cur sic liquida ætheris ora
Extrui, & expandi ceu veli ingentis ad instar
Iusserit; aut fixam librarier æthere terram:
Sat scio, necdum etiam conclusum hoc corporis
Consiliū nouisse Dei, quid mente volutans (antro
Vnum hominem tantum terra prodire sub auras
Iusserit, huic facta consorte, æqualibus aucta
Muneribus, flammisq; simulq; & viribus iisdem
Progignendi alios ex se, sibi in omnibus æquos
Corpore, mēte, figura, & quicquid mūerū haberēt.
Si potius Domino morem gessisset Adamus
Quam trux Hydra tibi; non hæc in mente caligo
Obrueret sensus, sed veram agnoscere causam,
Omniū ibi rerum licitū foret, omnium abundans
Cognitio, aspectusq; foret, nunc vnde tot orbes
Quarè ita constructi; nunc cur non amplior orbis
Quem colerent omnes simul, & cur tēpore in vno
Non omnes simul, atq; semel prodire sub auras
Censuerit melius: quam lumbis vnus Adam
Tot populos gigni. Atq; etiam cum talia nossent
Primi homines, opus his haud quod præstantius
Sole sub ardenti; quam naturæ ordine ductos (esset
In



Pon 2e^m 839 1/2, Q4
AK



In vineam Domini egregiam sine crimine plantā
Eduxisse Deo, cui cum foret æthere semen
Solum etiam cœlum, nil tantum terrea curans
Suspiceret patriam, & solo de Patre loquelas
Funderet, & solum Patrem sua gaudia haberet.

Etsi igitur multis iam perturbata tenebris
Mens stupet, & varij ceu multo milite motus
Circum corda fremunt, atq; ipsi horrentia Menti
Bella parant, socio sibi, & auxiliaribus armis
Monstro acri electo, cui semper foetida cordi
Flagitia, illuiesq; & Dijs inuisa Libido;
Attamen ex alijs, alios in luminis auras
Progigni voluit, quo ceu statione repleta, (ret
Sēper in omne æuū, plebs quædam immota mane-
Consilium admirata Dei, & quæ laudibus amplis
Artificem caneret tantum, & magno ore sonaret,

Nectamen intereà fœdos promiscuè amores
Approbat, imò altis succensus pectora flammis
Hos odio insequitur, & contra ingentibus ornat
Muneribus, turpes qui sana mente perosi
Delitias, cœcos reprimunt valido obice motus.
Atq; etiam hinc reliquas human a in mēte reliquit
Noticias recti, quæ ceu Rex vertice in alto,
Imperium teneant sine fine, & fortibus armis
Contineant motus, ne quando immanibus ausis,
Excutere á ceruice iugum, atq; erumpere in altum

A ij

Susti-

Sustineant rabidi, quod si non imperet illis
Mens benè, vel solita quicquid grauitate remittat :
Colla iugo eripiunt citi, & in genus omne malorum
Ceu cæci sine lege ruunt. Verum vltio tandem
Haud tardè insequitur, quæ tantò immanius vrget.
Quo magè sera venit, quod si ratione Libido
Frangitur, & forti retinentur frena lacerto:
Pœna aberit peregrè, nec quæ timeantur, habebis.

Nonne vides, sanctum pellectum ad stupra Iose-
Obstare intrepidè, et calidos euincere motus, (phũ
Dum mens salua manet? Sed quid Iesseios Heros,
Bersabeæ infando miser extimulatus amore
In Venerem ruit, haud Mentie Deoue monenti
Morigerus, sed quis demum fuit exitus? ille
Nil conscire sibi, gerere alto in pectore testem
Mentem ipsam, & casus fortunæ exire malignos.
Huic, vbi præterijt breuis, atq; infanda voluptas
Succedit dolor, & propriæ deuotio noxæ.
Ipsa sibi poenas poscit mens, ipsa scelestum
Arguit, & somno iam demum excita profundo,
Ostendit scelus esse scelus. Quina spera ad isthæc
Vltio, & immanis totos vindicta Penates
Obruit, & serò quid sit violare pudoris
Iura docet. Quantum poenæ est, cū pessimus vnus
Absolon, immeritas Patris stupraret amicas?
Quid? quod atrox Patri bellũ intentaret, & ipsum
Eijce-

Eijceret regnis, tandemq̄ in atrocibus aufis,
Ipsam incestam animam ferro proflaret adacto?
Nec tamen ignotum est, viuentem coniuge cara
Iesiden, placuisse Deo. Quin ergo Libido,
Causa mali tanti est, & non lecti illa iugalis
Vincula. Quid verbis opus, Ipse in pinguib. hortis
Coniugium laudat Deus, Ipse in pinguibus hortis,
Coniugium instituit Deus. Ipse in pinguib. hortis,
Coniugio bona verba dedit, sacrumq̄ vocari
Iussit, & æternum durare in sæcula foedus.

Quid loquar, vnde habeant tam magna in-
cendia amoris,

Corda hominum, sanctus nisi summo desuper axe,
Spiritus illabens, fomenta arcana calor
Suggerat, & validum ipse accendat cordib. ignem.
Cordibus in sponsi, quo flamma vrente calefcens
Pectus amans, clarè immensum cognoscat amorē,
Aetherei sponsi, quo rex ille altus Olympi
Prosequitur, solam quā quondā ab origine mundi
Deiunctam sibi verbo, atq̄ in sua iura receptam
Dicit adhuc Sponsam, Sponsam, licet illa pudoris
Iura oblita diu, infandos sectata hymenæos
Alterius, cui se, promissa incerta stupefcens,
Tradiderat totam, prorsusq̄ oblita parentis
Criminē permulto, & noxa se immerferat alta,
Hanc tamen infectam sanie, & tam crimine multo

Aiij Foeda

Fœdatam, horrendam patiens in robore mortem
Raptori eripuit Sathanæ, ereptamq; vicissim
Duxit in apricum, saniem, tabumq; fluentem
Rore suo spargens, & fuso in morte cruore
Abstergens maculis, & iam misso obside flatu
Rurtus amans, patrias quãdo adducturus in oras.

O sanctus status, o ingens, mysteriũ amoris
Aetherei sponsi, qui tanto amplectitur igne (lis,
Nos miseros, (quamuis miseros) Age sæua procel-
Quid mihi Mors facies, qd Rex immanis Auerni
Lexue Dei, Christi cum tanto in amore recumbã?
Et scelerata audes rasorum factio fratrum,
Hunc sanctum temerare statũ? dum lustra sequuta,
Lustra magis laudas, lustra admiraris, & ardes
Crediderim, atq; equidem dicam, si vera fateri
Sit licitum, fœdo vos Sus lutulenta sub antro
Hirco enixa Patre est, hinc vos hirciq; salaces
Spumiferiq; sues nil quicquam, mentis habentes.

Tu vero o fœlix auibusq; enixe secundis
Schallere, o fœlix, qui tantum agnoscis amorem
In sponsa ipsetua, quæ magno nata Parente
Magnum ostendit Auum, qui dum sic vita ferebat
Magnanimo Eliæ veluti comes alter Elissa.
Scita Patris Latij, atq; idola infanda Papatus
Templo eieciabant, & contra ingentibus ibant,
Obnixi ambo animis, tantũ magno ore sonantes,

Iussa

Iussa Dei. O Diuum concessi munere nobis
Illustres quondam Heróes, nunc lumine cassi,
Illustres Animæ, vestrûm non immemor vnq̃
Vlla ætas fuerit, vos non vnquam vlla tacebunt
Sæcula, at elatos cœli inter sydera ponent.

Fœlix ô iterum, cui tali stirpe puella
Obtigerit, clarum quæ te virtute parentem
Esse dabit, propria quamuis tu clarus ab Arte
Sat niteas, cum tu studiorum occultus in vmbra
Imbueris animum Sophia, & nunc arte profectus,
Donû hodiè abstuleris ingens, quãdo infula crines
Cingeret, & iuuenum in nimbo, doctûmq̃ corona
Templa subiturus sponsæ connubia adires.

Quid te etiam superis multum dilectæ Melanch-
Nûc ego compellẽ? ô liceat si cernere coram (ton,
Sed quid ego coram? Tu cœli in sedibus altis
Gaudia plura capis, Christi in complexibus arctis
Semper inhærescens, quẽ quondam in corpore vi-
Vnum etiam ante alios ingenti voce canebas, (uus

Te potius Peucere Pater, decus Albidos ingens
Te petimus, te qui fama super æthera notus,
Magnum illum socerum virtute, atq̃ arte Philip.
Exprimis insigni, Nunquid non fronte serena (pũ
Sepositis gaudes curis, dum nubere Natam
Egregio cernis Generi, genere inclyto, & arte
Præstantẽ in Medica, cui succum inuentor Apollo

Scire

Scire dedit vires herbarum, & fata medendo
Protrahere, atq; inter sese discernere succos,
Gaude animo, & multum lætare, at gaudia nobis
Impartire etiam, qui te communibus omnes
Iuimus ante Aram votis, præsensq; iuamus,
Dum Sponsis bona verba damus, lætiq; benignos
Coniugio petimus menses, ac voce fauemus.

Ergo age qui Sponsis quondam dona inclita
Christe dabas, verū spōsis testatus amorē (Bacchi
His age, sis præsens etiam, & communia vota
Desuper exaudi. Da quod nunc te auspice cęptum
Coniugium, fœlix maneat. Da nullus amaror, (est
Dissidium veniat nullum, nulla aspera dicta,
Omnia sint pacata, sit vna in corpore bino
Temperies, sit verus amor, sit gratia concors.

A M E N.



UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Pan, Zē 839 h, QK


ULB Halle

3

004 976 002







CARMEN
IN HONOREM CON-
IUGII CLARISSIMI VIRI D.
HIERONYMI SCHALLERI, SPONSI, ET
PVDICISS: VIRGINIS MARTHÆ PEV-
CERÆ, EXCELLENTISS: D. CA-
SPARIS PEVCERI, FI-
LIÆ, SPONSÆ.

Scriptum à
IACOBO FABRITIO
DANTISCANO.



VVITEBERGÆ
Excudebant Clemens Schleich &
Anthonus Schöne.

ANNO
M. D. LXX.